

De oleo hepatis aselli tentamen inauguralis / [Camillo Novati].

Contributors

Novati, Camillo.
Corneliani, G.
Università di Pavia.

Publication/Creation

Pavia : Fusi, 1832.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sfstfkcz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE OLEO HEPATIS ASELLI
TENTAMEN INAUGURALE

QUOD

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
PERILLUSTR. FACULTAT. MEDIC. DIRECTORE
SPECTAB. D. DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D.^{re} JOSEPHO CORNELIANI

CLINICES MEDICAE

PROFESSORE ORDINARIO

DOCTORIS MEDIC. LAUREA RITE OBTINENDA

IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Septembris an. MDCCCXXXII.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS
PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

CAMILLUS NOVATI

EX PAPIA.

CHIRURGIAE DOCTOR

ATQUE ARTIS OBSTETRICÆ MAGISTER




TICINI REGII.
Typis Fusi et Socii.



Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b29345108>



De Oleo Hepatis Aselli.

Nuperi prae caeteris Germaniae medicinam facientes, scriptis per ephemerides vulgatis, laudibus ad coelum extollunt oleum jecinoris aselli, veluti praestantissimum atque mirificum emolumentum, vulgo jam pridem usurpatum in illis quae prope solum Europae aquilonare jacent plagiis, verumtamen pharmacologiae opibus novissime adscriptum. Idcirco mihi animo pervolventi quodnam praesto esset argumentum in rite edendo medicinae specimine, et sic meo in more accademico muneri fungerer, recens arrisit comparatum remedium, deque eo disserere constitui, ne lippis jam et tonsoribus notam materiem aggrediar. Quae usque dum prolata de hoc oleo fuerunt breviter itaque exponam, lectorum indulgentiae ac benevolentiae committendo primum hunc fructum australibus palatis nequaquam certe satisfacturum.

Oleum jecinoris aselli plurium ab hepate piscium exhauritur Linnei generi *gadus* spectantium, sed morhuis praecipue, quae paucis ab hinc annis a gadibus sejectae, genus proprium componunt. Generis *gadus* Linnei tres prae caeteris adsunt species, hanc abunde suppeditantes substantiam vulgo notam sub nomine *olei aselli*, *olio di morua*, vel tantum *olei piscis*, *olio di pesce*, quarum

specierum prima *Gadus morhua* (1); altera *Gadus Carbonarius* (2); tertia *Gadus Molva* (3), a Linneo nuncupantur.

Hae species et praesertim *morhua* proprie dicta, in illa oceani septentrionalis plaga inveniuntur, quae intra quadragesimum et sexagesimum sextum latitudinis borealis gradum sita est; quin imo sub gradu latitudinis altiori, uti in Groenlandia et Thule quoque reperiuntur, ubi revera et qualitate et quantitate illis aequiparari haud merentur, quae circa *Terrae Novae* insulam et prope maris Baltici litora satis superque deprehenduntur.

(1) Haec species vocatur *Kabeljau*, in Germania et Dania. — *Klubbe-Torsk* et *Bolch*, *Cabliau*, *Skrey*, *Sild-Torsk*, *Vaar-Torsk*, in Norvegia. — *Torskur* et *Kablau*, in insula Thale. — *Sarandlirksoak* et *Ekalluarksoak*, in Groenlandia. — *Var-Torsk*, *Skrey*, in Lapponia. — *Kabbelia*, in Svecia. — *Cabiljau*, in Batavia. — *Cabillaud*, *Bacailou*, in Belgio. — *Codfisck*, *Keeling*, *Melwel*, *Stokfish*, *Habor-dine Greenfish*, *Barrel-Cod*, in Anglia. — *Morue*, *vel Molue*, in Gallia. — *Merluzzo*, *Baccalà*, *Stocfis*, *Bertagnino*, in Italia.

(2) Haec species sub nomine venit *Kohler* et *Kohlmuid*, apud Germanos. — *Kollemissé*, *Kollemoder*, apud Danos. — *Kulmund*, *Guld-Lax*, *Kule-Mule*, apud Norvegiae incolas. — *Sey*, *Graasey*, *Stifisk*, apud Thulenses. — *Coal-Fish*, *Raw-Polack*, apud Anglos. — *Colin* *vel Morue Noire*, apud Gallos. — *Colino*, apud Italos.

(3) In Germania, Dania, Norvegia et Thule appellatur haec species *Loenge* et *Leng*. — In Svecia, *Loenga*. — In Groenlandia, *Juirksoak*. — In Britannia, *Ling*. — In Gallia, *Lingue*. — In Italia nomine a Gallis deprompto, *Linguo*.

De Olei Aselli praeparatione.

Vertente aestate, pescatores ipsi ex piscibus magna interceptis copia hepar auferunt, illudque in doliis confertum solis radiis exponunt. Caloris actio ita efficit, ut fluidum exprimatur, quod papaveris oleo colore admodum nihil dissimile, *olei limpidi albi* nomen recipit. En prima olei qualitas meraca, pretiosior et usibus etiam praestantior. Postea hepata doliis cohacervata putrefactionem subeunt, unde nova olei quantitas paratur coloris fusci, quapropter *oleum subnigrum* nuncupatur.

Denique intus vasa ferrea hepata percepta ignis ope denuo fundunt oleum, quod vel fusco nigricantem, vel nigrum colorem praesefert, prouti putrefactionis processus, vel igni actio diurniores fuere. Haec postrema olei qualitas aliis inferior evadit, et ut de hisce factum est, vasis seorsim colligitur.

*De Olei Aselli characteribus,
atque analysi chemica.*

Quos Reder singulis olei aselli speciebus characteres adsignavit, sequentes sunt.

1.^o Prima pellucida, saporem piscis ac leniter acrem praebet, odorem ab illo pariter piscis non admodum varium, neque ingratum, consistentiam sub quindecim Reaumuriani graduum temperie illi olei papaveri respondentem, pondus specificum eidem temperiei, o, 920.

2.^o Secunda species minus limpida odorem piscis refert ingratum et empyreumaticum, saporem acrem et improbum, ipsique temperiei densitatem quidquam antecedenti majorem.

3.^o Ultima demum qualitas opaca colorem praesefert nigricantem, odorem animalem empyreumaticum summopere ingratum, saporem magis acrem, consistentiam illa secundae speciei non nihil majorem, ponderis specifici, o, 921.

Vix aut ne vix quidem ab oleis vegetabilibus quoad elainae et stearinae quantitatem differt; sed carbonii atque hydrogenii majori informatur ratione.

Juxta Berard centum olei jecuris aselli partes conflantur ex

Carbonii 79, 65.

Oxygenii 6, —.

Hydrogenii 14, 35.

Praeter mox adductas substantias caeterisque oleis communes, aliam quoque sibi propriam continet, *Cetinam* dictam a Chevreul.

Utriusque secundae speciei oleum, quo vitrum intingatur, adeo per aeris attactum vitro adhaeret, ut difficile abripi ac verniei possit comparari.

Si ejusdem partes tres cum aquae una insimul agitantur, oleum supernatat, sed aqua subjecta colorem contrahit lactescentem, oleique odorem leniter manat, quin ullam erga colores vegetabiles cyaneos praeferat actionem. Acetatis plumbi, hydrochloratis barytis atque nitratis argenti solutiones, erga hoc oleum nullam exerunt potentiam. Calori expositum ad ebullitionis gradum accedenti, nihil offert observatu dignum; si vero

calor adaugeatur, oleum vaporem album odoris ingrati exhalat, una simulque fit obscurius et densius, et nigri carbonis parvum residuum postmodo suppeditat.

Si cum aqua servida oleum exagitetur, liquores ita immiscentur ut lente ad difficulter inde disjungantur. Quae vasis fundum petit lactescens prius adparet aqua, sed paucos intra dies nitidior evadit; oleum vero supernatans duo refert strata, quorum superius inferiori pellucidius. Si evaporationis ope massa ad tertiam reducatur partem, olei et aquae sejunctio denuo ita efficitur, ut neque pituitae vestigium aqua adhuc contineat.

Alcalia caustica, ammonia excepta, cum oleo aselli justa proportione nupta saponem progignunt, ast hoc in affinitate erga illa, oleis, quae a vegetabilibus depromuntur, primatum cedit. Intime ex converso copulatur cum ammonia liquida, ita ut ab ipsa prorsus separari nequeat.

Caloris ope sulphur et phosphorum expedite solvit.

Acidum nitricum colorem ipsi confert nigrescentem, et flocculos nigros gignit; quae mixtura cum acido sulphurico igni ardenti exposita in massam nigram, hepaticae consistentiae se vertit. Oleum calefactum pauca acidi nitrici quantitate subactum, colorem nigrum sumit, ac facili negotio in aethere sulphurico, dum e contra aegre vel prorsus nil in alcohole solvitur.

Porro inter omnes chemicas substantias illa quae cum oleo aselli peculiari se gerit ratione, cujusque gratia oleum ipsum a caeteris facile discriminatur, est nitras hydrargirii liquidus. Hujus pars una si quatuor olei partibus immisceatur,

inde mixtura quieti per horam committatur, materies exoritur solida colorem olei praeseferens, cuius quantitatem majorem olei species 2.^a, et 3.^a, quam prima, largiuntur. Haec materies partibus oleosis rite purgata consistentiam ceream ofert, caloris ope mollescit, minime vero liquefit, igni flammam evolvit nitidam, fuliginem et carbonem pariens, qui carbo difficulter in cinerem abit. Substantia ipsa solvitur in lixiva caustica, qua acidi sulphurici ope secernitur sub forma flocculorum nigrorum, qui vix aut ne vix in aethere sulphurico resolvuntur, nullamque mutationem ex ammonia et alcohole subeunt. Hisce autem a vehiculo in quo natant ablatis, si eidem menstruo aqua destillata addatur, novi exinde oriuntur flocculi, qui in acido nitrico solvuntur; ex qua solutione per ammoniam subprotonitratis mercurii sedimentum obtinetur, hydrargirium solubile Hahnemanni.

Reister e cuius dissertatione prolatas haurimus notiones, ex ipsis experimentis sequentia infert corollaria:

1.^o Oleum jecinoris aselli aëre siccari et igni expositum ad ebullitionem usque in vapores facile abire;

2.^o Oxygenio expedite consociari;

3.^o Nullo negotio in aethere sulphurico et alcohole absoluto dissolvi, ex eo quod stearinae plus quam elainae continet; quapropter etiam faciliter cum ammonia caustica quam cum aliis alkalibus copulatur.

4.^o Oleum denique aselli ignis caloris ope paratum majori, quam aliae olei species solis caloris ope obtentae, virtute pollere; qua de re uti medicamentum illud generatim præfertur.

Pars Medica.

Caii Plinii secundi Historia Naturalis nos docet, antiquos plurium piscium oleum jam cognovisse, atque in usum medicum adhibuisse. — Pruritum, ait ille, scabiemque non hominum modo, sed et quadrupedum efficacissime sedat, jecur pastinaceae decoctum in oleo. — Verrucas glani jecur illitum. — Perniones emendat siluri adeps.

Nihilo tamen secius ex ipso Plinii opere edocemur, veteres pisci aselli ossiculis nonnisi, quae in ejus reperiuntur capite, usos fuisse. — In febribus frigidis, auctor ipse monet, ex asello pisce lapilli qui plena luna inveniuntur in capite, alligantur aegris in linteolo. —

Quoad ejusdem piscis oleum, pluribus ab hinc annis uti medicamentum contra rheumaticos dolores non fuit adhibitum, nisi a gentibus, quae prope mare ubi morhuae nidulantur, litora incolunt. Medici vero pro more ab omni vulgari consuetudine, ipsa utilitate contempta inde prodeunte, abhorrentes, sola innixi ratione *vulgi esse*, hoc pariter oleum usque dum despiciati fuere. Percival primus circa annum 1790, illud in Nosocomio Rhigodunense prospero exitu usurpavit, suisque repetitis successibus animatus, novi rimedii efficaciam medicis commendavit. Nihilominus intra profanorum manus desertum, nonnisi anno 1822, velut ab Hufeland accipimus, Doctor Alemannus Schenk medicorum attentioni oleum de quo loquimur commisit, observationum seriem, de ejusdem in chronicis affectionibus rheumaticis virtute ac spe-

ciatim in ischiade et lumbagine, pervulgando
Cum plures deinde Germanicos inter medicos,
fausto equidem eventu iisdem in morbis praedictum oleum administraverint, per universam
cito Germaniam merito fuit celebratum, ita ut
hodie apud medicos ipsos communem, qua antea
apud vulgum fruebatur, opinionem, sibi com-
paraverit, praecipue in arthritide, rheumatismo
et rachitide.

Licet has proprietates libenter huic oleo ad-
scribendas esse censemus, tamen nec illis fide-
mus, qui nimia erga recens inventa cupidine ob-
coecati, plures huic oleo mere hypotheticas vires
tribuere nituntur.

Nobis itaque scire sufficiat, quomodo accu-
ratae observationes edocuerunt, nonnunquam pro-
fuisse in scrofula, in rachitide, in amenorrhaea,
in affectionibus convulsivis, in epilepsia, inque
affectionibus dolorificis ac praesertim in pro-
sopalgia.

*De Olei aselli
in humanum organismum effectibus.*

Ex innumeris fere observationibus jam nunc
institutis, sequentes olei aselli in organismum
humanum effectus prodierunt.

Raro nauseam, vomititionem vel vomitum
movet, rarissime appetitum infringit, quin imo
hunc effectum nonnisi in infantibus rachiticis
inducit, quorum appetitus voracitati persaepe
accedit. Minus raro alvum aperit; urinas vero et
menstrua efficaciter promovet; diaphoresim adauget,
atque sudori odorem sibi proprium interdum im-

pertitur. Pluribus in casibus primis remedii dosibus dolorum exacerbatio succedit, ast in debellandis mox dictis adfectionibus, aut externae sint aut internae, non minus utile deinceps evadit.

Teste Hufeland tanta hoc pharmacon instruitur virtute, ut sanitatem omnium aetatum hominibus restituerit, qui pluribus annis lecto misere degebant absque ulla levaminis spe.

De Olei Aselli administrandi ratione.

Adultis praescribitur ad cochlearia duo pluries de die: pueris vero et infantibus minor sufficit dosis. Ejus ingestio saepe ructus ingratos producit, ad quos praepediendos Doctor Schenk os abluere post oleum ingestum, indeque menthae piperitidis nonnullos assumere pastillos, suadet. Porro, cum Reder ob hasce pastillos ructus interdum augeri observasset, amygdalam amaram vel panis frustulum eis substituere monet, cuius ingestio eructationibus obstat ingratumque saporem abripit. Nonnulli etiam eosdem consecuti sunt effectus per infusum coffeanum statim post remedium suumptum.

Infantibus, quibus oleum solum repugnat, sequens formula magnopere opitulatur:

R. Olei jecinoris Aselli	<i>unciam</i>
Liquoris kali carbonici	<i>drachmam unam</i>
	<i>et semis</i>
Olei Calami aromatici	<i>guttas tres</i>
Syrupi corticis aurantiorum	<i>unciam</i>
mis. capiat cochleare coffeanum unum mane et vespere; pedentem dosis adangenda usque ad cochloaria duo.	

Olei aselli non tantum internus usus medicorum expectationi respondet, sed etiam externe magna cum utilitate sub forma clystatis fuit usurpatum, pro singulo clystere dosim duplicem, triplicem vel ultra majorem adhibendo, quam quae intus propinatur. Frictiones praeterea aut illinationes ubi dolores rheumatici insident cum oleo ipso peractae, valde praestarunt.


Olei quantitas ad sanationem assequendam in singulis casibus variat pro varia aegrorum aetate, sexu, temperamento, constitutione, vivendi ratione, pro varia aegritudinis natura, diurnitatem et gravitate; tandem pro vario illud administrandi modo. Schenk rheumatismum antiquum cum sex tantum ipsius medicaminis unciis sanavisse, alias e contra vix viginti libras valuisse, refert.

Ad obtinendos autem ex oleo in dictis morbis optatos exitus, sit purum, nec aliis piscium oleis inquinatum oportet, sicuti de venali facile contingit; interest praeterea ne ullo subjiciatur depurationis processui.

Si aeger inflammatione vehementiori laboret, aptis medicaminibus antiphlogisticis eam compescere necesse est, antequam oleum porrigatur; hac absque cautione, idem foret ac si combustionem oleis extinguere vellemus. Quod si male respondet quotiescumque viva inflammatio vigeat, nimia porrectum dosi jam per se sufficere ad phlogosim vel phlogoseos phaenomena excitanda, unusquisque animadvertisit. Talia revera essent cephalgia, caloris auctio, febris etc. Aegros autem eo utentes, nonnisi vegetabilibus aut carne vitulina vesci fas est, addito vini sorbillo, dummodo huic nulla obstent momenta.

En quaे mihi, de hoc nuper a medicis re-
cepto medicamine, colligere datum fuit. Qui
ulterius scire vellet, dissertationem *de oleo je-
coris aselli* Berolini a Rostock editam (1826);
alias pariter dissertationes quas Spaarman, Reder
et Helber, Ling Berolini aequè et eodem tempore
typis commiserunt; tertiam a Reistero Lutetiae
evulgatam anno 1830, et praeceteris ephemerides
Hufeland ab anno 1822 ad annum 1826 publi-
catas, consulent.

F I N I S.



THESES DEFENDENDAE.

I.

A proposito certe aberrant medici, qui censem cum *Broussais*, gastro-enteritidem constanter esse cholerae-morbi, nunc epidemice debacchantis, conditionem pathologicam.

II.

Plurium neurosium causa proxima est irritatio ex significatione hujus vocabuli a neotericis tradita.

III.

Phlogosis non est morbus simpliciter dynamicus.

IV.

Diversa phlogosi objicienda sunt pharmaca, prout alterutrum ejus elementorum praevalet.

V.

Conditiones topographicae valde influunt habitudinum moralium differentiis.

VI.

Causa proxima febrium generalis assignari non potest.

Et quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.
Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.
Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Quod non potest esse in aliis, est in hoc.

Chilio de. pipino neona
tum
de Bronchorehoea
de Crisi
De consultationum Ci-
niarum utilitate
de Polydipsuria
de Aconyktisij
de Colchico
della Morte naturale
De Natura cricos morbo cum
de Catamenisij
In gigantibus et paucibus
de Camphora
de Proto-sulphate Martis
de Chloropis
de Viola odorata et bicolori
de Sulphate chininae
di alumne malacie articolari
de Oleo hepatis apelli:

